

nuissimæ albæ scabræ uniseriales paululùm suprâ basin fructu maturo ruptæ secedentes et tunc rostrum disco margine tenuissimè albofimbriato coronatum.

Hab. in *Sipylo* suprâ *Magnesian* ubi fructiferum Julio 1842 legi.

Genus curiosum cujus flores hucusque ignoti sunt e *Lactucearum* tribu, propè *Lactucam* collocandum cui involucris et achæniis in rostrum filiforme abruptè attenuatis affine est sed ab eâ distinctissimum achæniis non compressis et præsertim pappi setis in capitulum supernè discoideum basi coalitis paulò suprâ basin ruptis fugacissimis nec ut in *Lactucâ* cum achæniî rostro semper persistentibus.

#### CREPIS BITHYNICA Boiss. (Sect. *Hieracioides* DC.)

*Cr.* perennis acaulis, scapo ascendente flexuoso foliis vix longiore nudo aut foliolo lineari instructo dicephalo rariùs monocephalo pilis patulis rigidis aliisque brevibus glandulosis asperulo, foliis omnibus radicalibus parcè pilis subglandulosis asperulis in petiolum attenuatis runcinato-lyratis lobis inferioribus dentiformibus brevibus superiori maximo rotundato-obtuso, pedunculis glandulosis, involucri squamis nigricantibus ad medium parcè farinaceo-tomentellis cæterùm glabris lanceolato-linearibus, eis seriei exterioris paucis dimidiò brevioribus, ligulis subtùs concoloribus, achæniis tenuibus flavescens columnaribus striatis pappo niveo molli eis breviori coronatis.

Hab. in herbidis regionis alpinæ *Olympi Bithyni* ubi Aug. 1842 legi.

Radix longè fibrillosa. Folia cum petiolo bipollicaria apice 3-5 lineas lata. Scapus 2-3 pollicaris flexuosus, capitula eis *Cr. virentis* paulò majora. Achæmium lineas 2  $\frac{1}{2}$ , pappus ferè 2 lineas longus. Inter species affines *C. Armena* DC. differt foliis obovatis acutè incisis, scapo erecto brevi monocephalo, indumento glandulosissimo; *Cr. heterotricha* DC. inter alios characteres capitulis duplò majoribus; *Cr. Columnæ* glabritie, radice præmorsâ, scapis elongatis monocephalis, etc.

#### HIERACIUM MACROTRICHUM Boiss. (Sect. *Piloselloidea*.)

*H.* perenne totum præter pilos stellatos minutissimos parcissimos sæpè evanidos ciliis albidis longissimis patulis flexuosis e tuberculo